Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

iniquita scelerum ad inferni claustra raperetur. uocauitque me
cum eum in uicina positus et inter egra tremens suspiria fle-
bili uoce talia mecum querebatur. Vides inquit qui iam iamque cre-
scente corporis molestia ad articulum subeunde mortis
compellor. nec dubito me post mortem corporis statim ad per-
petuam mortem anime rapiendum. ac infernalibus subdendum esse
tormentis. qui tempore non pauco inter studia diuine lectionis
uiciosis potius implicamentis. quam diuinis solebam seruij-
re mandatis. Inde autem animo si me pietas superna aliquod uiuen-
di spacia donare uoluerit. uiciosos mores corrigere at-
que ad nutum diuine uoluntatis totam ex integro mentem
uitamque transferre. Uerum noui non hoc esse meriti mei. ut in-
ducias uiuendi uel accipiam uel me accepturum confidam.
nisi forte misero mihi et indigno ueniam patrocinium eorum qui il-
li fideliter seruierunt propiciari dignatus fuerit. Audiuimus autem
et fama celeberrima est. quia fuit in gente nostra rex mirande sancti-
tatis. uocabulo oswaldus. cuius excellentia fidei et uirtutis etiam
post mortem uirtutum frequentium operatione claruit. precorque si a-
liquid [reliquiarum illius] penes te habeas afferas mihi. si forte dominus mihi per meri-
tum eius misereri uoluerit. At ego respondi. habeo quidem de
ligno in quo caput eius occisi a paganis infixum est. et si firmo
corde credideris. potest diuina pietas per meritum tanti uiri
et uite spacia longiora concedere. et ingressu uite perennis
te dignum reddere. Nec moratus ille. integram se in hoc habere fi-
dem respondebat. Tum benedixi aquam et hastulam roboris
prefati inmittens. obtuli egro potandum. Nec mora habere me-
lius cepit. et conualescens ab infirmitate. deinceps multo
tempore uixit. totoque ad deum corde et opere conuersus. omnibus ubicumque per-
ueniebat pii conditoris clementiam. et fidelis eius famuli re-
gis oswaldi gloriam predicabat. Prologus in uitam s. Cassiani.

Imitabiles sanctorum actus describere. eorum memorias celebrare.
uelut lumina est dirigere fulgoris quod in se lucentis beneficii
a ceteris benignitatis studio patefacere. Nec tamen temporalis
commodi causa ut ex his uita meliatur honesta. quantum ut
beatitudo adipiscatur eterna. Sunt enim uite sanctorum intellectu
altius conspecte. quemadmodum in celo sidera fixa. Que si aspi-
ciantur suo aspectu lumine beneficia humanis gressibus pre-
bent. et si imitabiliter considerentur quam terrenarum cauende sint
tempestates rerum plenissime docent. Sed hec si ignorantie
nube fuerint tecta. licet suis potiantur fulgoribus. nulla
tamen sunt prebentia mortalibus beneficii dona. Si uero fuerint
sua dignitate humanis patefacta conspectibus. quod in
se sunt manifestatur. quodque ualeant mortalibus liquido os-
tenditur. Egregium est ergo summeque utilitati perceptiuum. sanctorum de-
scribere uitas. In quibus mirabilis gratia dei refulsit. qui secundum
scripturas mirabilis est in sanctis suis. prestans superare terre-
na. consequi posse celestia. Beate uiuere uitiis. nec non feli-
citer uiuere in celis. Tamen homines qui fuerant quondam nec diuino
munere plus esse quam homines. ut quantum non decipere potest ho-
diuine uirtutis gratia donati. temporali uita absoluti.
plus ualeant quam homines. ita ut in eterna dei uirtute ma-
nentes. suis precibus ualeant obtinere quod salutiferum est ho-
minibus posse adipisci. non solum corporaliter uiuentis. sed spiritua-
liter in celis. Ex quorum numero beati cassiani pontificis uita
precipue est predicanda. qui in tantum deo studuit placere. ut
diuinitatis iudicio libratum fuerit hoc debere eternitatis
premio. felicitatis dono. et beatitudine perpetua in celum
euectum. digna retributione remunerari. Cuius nos meritis
adiuuari humiliter poscimus. ut quem scribere aggredimur.
condigna reuerentia ualeamus. De pueritia et erudi-
tione sancti cassiani. De uirtutibus spiritualibus eius. De iuli-
ano imperatore et zenono martyre. De iouiniano imperatore qui
sanctum cassianum constituit episcopum. De ordinatione beati cassia-
ni et qualitate uite eius. De ecclesia s. laurentii consecrata a
sancto cassiano. De recordatione s. zenonis episcopi et medita-
tione. De conuocatione episcoporum et conquirente populo. Vbi sanctus
cassianus impugnatorem proficiscitur. Vbi s. cassianus mas-
siliam appulit. Vbi eduae urbem uenit et de sancto sim-
plicio. Vbi s. cass. sanctum simplicium suscepit. De uo-
luntate sancti cass. in brittannias proficiscendi. De ob-
itu sancti simplicii et successione sancti cassiani. De uirtu-
tibus eius. De obitu sancti cass. De cruce expressa diuina
uirtute in tumulo sancti cass. De bo germano cui beatus cas-
de tumulo locutus est. Vita eiusdem.

Sanctus namque cassianus et beatissimus episcopus. uir genere egip-
cius fuit a capite alexandrie urbe laudabili